

**Prof. Dr. U. Eigler**  
**Seminar FS 12**  
**Lukan, *Pharsalia***  
**1. Kollegstunde 20.02.12**

**Text 1:** Luc. 1, 1-66 (ed. Housman, 1926 (OCT))

Bella per Emathios plus quam ciuilia campos  
iusque datum sceleri canimus, populumque potentem  
in sua uictrici conuersum uiscera dextra  
cognatasque acies, et rupto foedere regni  
certatum totis concussi uiribus orbis 5  
in commune nefas, infestisque obuia signis  
signa, pares aquilas et pila minantia pilis.  
quis furor, o ciues, quae tanta licentia ferri?  
gentibus inuisis Latium praebere cruorem  
cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis 10  
Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta  
bella geri placuit nullos habitura triumphos?  
heu, quantum terrae potuit pelagique parari  
hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextrae,  
unde uenit Titan et nox ubi sidera condit 15  
quaque dies medius flagrantibus aestuat horis  
et qua bruma rigens ac nescia uere remitti  
astringit Scythico glaciale frigore pontum!  
sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes  
et gens siqua iacet nascenti conscia Nilo. 20  
tum, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,  
totum sub Latias leges cum miseris orbem,  
in te uerte manus: nondum tibi defuit hostis.  
at nunc semirutis pendent quod moenia tectis  
urbibus Italiae lapsisque ingentia muris 25  
saxa iacent nulloque domus custode tenentur  
rarus et antiquis habitator in urbibus errat,  
horrida quod dumis multosque inarata per annos  
Hesperia est desuntque manus poscentibus aruis,  
non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor 30  
Poenus erit: nulli penitus descendere ferro  
contigit; alta sedent ciuilis uolnera dextrae.  
quod si non aliam uenturo fata Neroni  
inuenere uiam magnoque aeterna parantur  
regna deis caelumque suo seruire Tonanti 35  
non nisi saeuorum potuit post bella gigantum,  
iam nihil, o superi, querimur; scelera ipsa nefasque  
hac mercede placent. diros Pharsalia campos  
inpleat et Poeni saturentur sanguine manes,

ultima funesta concurrant proelia Munda, 40  
his, Caesar, Perusina fames Mutinaeque labores  
accedant fati et quas premit aspera classes  
Leucas et ardenti seruilia bella sub Aetna,  
multum Roma tamen debet ciuilibus armis  
quod tibi res acta est. te, cum statione peracta 45  
astra petes serus, praelati regia caeli  
excipiet gaudente polo: seu scepra tenere  
seu te flammigeros Phoebi conscendere currus  
telluremque nihil mutato sole timentem  
igne uago lustrare iuuet, tibi numine ab omni 50  
cedetur, iurisque tui natura relinquet  
quis deus esse uelis, ubi regnum ponere mundi.  
sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe  
nec polus auersi calidus qua uergitur Austri,  
unde tuam uideas obliquo sidere Romam. 55  
aetheris immensi partem si presseris unam,  
sentiet axis onus. librati pondera caeli  
orbe tene medio; pars aetheris illa sereni  
tota uacet nullaeque obstent a Caesare nubes.  
tum genus humanum positis sibi consulat armis 60  
inque uicem gens omnis amet; pax missa per orbem  
ferrea belligeri conpescat limina Iani.  
sed mihi iam numen; nec, si te pectore uates  
accipio, Cirrhaea uelim secreta mouentem  
sollicitare deum Bacchumque auertere Nysa: 65  
tu satis ad uires Romana in carmina dandas.

**Text 2:** Hor. *epod.* 7 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris  
aptantur enses conditi?  
parumne campis atque Neptuno super  
fusum est Latini sanguinis,  
non, ut superbas invidae Karthaginis 5  
Romanus arces ureret,  
intactus aut Britannus ut descenderet  
sacra catenatus via,  
sed ut secundum vota Parthorum sua  
urbs haec periret dextera? 10  
neque hic lupis mos, nec fuit leonibus  
umquam, nisi in dispar, feris.  
furore caecus an rapit vis acrior  
an culpa? responsum date.  
tacent, et albus ora pallor inficit, 15  
mentesque percussae stupent.  
sic est: acerba fata Romanos agunt  
scelusque fraternae necis,

ut inmerentis fluxit in terram Remi  
sacer nepotibus cruor.

20

**Text 3:** Hor. *epod.* 16 (ed. Borzsák, 1984 (Teubner))

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,  
suis et ipsa Roma viribus ruit.  
quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi  
minacis aut Etrusca Porsenae manus,  
aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer  
novisque rebus infidelis Allobrox  
nec fera caerulea domuit Germania pube  
parentibusque abominatus Hannibal:  
inpia perdemus devoti sanguinis aetas  
ferisque rursus occupabitur solum:  
barbarus heu cineres insistet victor et Urbem  
eques sonante verberabit ungula,  
quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,  
(nefas videre) dissipabit insolens.  
forte quid expediat communiter aut melior pars,  
malis carere quaeritis laboribus;  
nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum  
velut profugit exsecrata civitas  
agros atque lares patrios habitandaque fana  
apris reliquit et rapacibus lupis,  
ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas  
Notus vocabit aut protervos Africus.  
sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda  
ratem occupare quid moramur alite?  
sed iuremus in haec: 'simul imis saxa renarint  
vadis levata, ne redire sit nefas;  
neu conversa domum pigeat dare lintea, quando  
Padus Matina laverit cacumina,  
in mare seu celsus procurrerit Appenninus  
novaque monstra iunxerit libidine  
mirus amor, iuuet ut tigris subsidere cervis,  
adulteretur et columba miluo,  
credula nec rivos timeant armenta leones  
ametque salsa levis hircus aequora.'  
haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis  
eamus omnis exsecrata civitas  
aut pars indocili melior grege; mollis et exspes  
inominata perpremat cubilia.  
vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,  
Etrusca praeter et volate litora.  
nos manet Oceanus circum vagus: arva beata  
petamus, arva divites et insulas,  
reddit ubi cererem tellus inarata quotannis  
et inputata floret usque vinea,  
germinat et numquam fallentis termes olivae  
suamque pulla ficus ornat arborem,  
mella cava manant ex ilice, montibus altis

levis crepante lympha desilit pede.  
illic iniussae veniunt ad mulctra capellae  
refertque tenta grex amicus ubera  
nec vespertinus circumgemit ursus ovile  
nec intumescit alta viperis humus;  
pluraque felices mirabimur, ut neque largis  
aquosus Eurus arva radat imbribus,  
pinguia nec siccis urantur semina glaebis,  
utrumque rege temperante caelitem.  
non huc Argoo contendit remige pinus  
neque inpudica Colchis intulit pedem,  
non huc Sidonii torserunt cornua nautae,  
laboriosa nec cohors Vlixei.  
nulla nocent pecori contagia, nullius astri  
gregem aestuosa torret impotentia.  
Iuppiter illa piae secrevit litora genti,  
ut inquinavit aere tempus aureum,  
aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum  
piis secunda vate me datur fuga.

**Text 4:** Epitaphium Lucani (Anthologia Latina 668) (ed. Riese, 1870 (ND 1964))

668

B. II 229. M. 839  
B. V 386.  
Lucanus ed. Ho-  
sius p. 338.

**Epitaphium Lucani**

Corduba me genuit, rapuit Nero, praelia dixi,  
Quae gessere pares hinc socer, inde gener. —  
Continuo numquam direxi carmina ductu,  
Quae tractim serpant: plus mihi comma placet. —  
Fulminis in morem, quae sint miranda, citentur:  
Haec vere sapiet dictio, quae feriet!

## SVETONI VITA LVCANI

*M. Annaeus Lucanus Cordubensis* \*\*\* prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquenniali certamine. Dein \*\*\* civile bellum, quod a Pompeio et Caesare gestum est, recitavit \*\*\* ut praefatione  
5 quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus sit dicere: 'et quantum mihi restat ad culicem'. Hic initio adolescentiae, cum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longissime cognovisset \*\*\*  
10 revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum aditus atque etiam quaestura honoratus non tamen permansit in gratia: si quidem aegre ferens, quod Nero se recitante subito ac nulla nisi refrigerandi sui causa indicto senatu recessisset, neque verbis adver-

*Vitas priores repetivi ex editione Useneri (commenta Bernensia p. 3) et Reifferscheidii (Suetoni reliquiae p. 50 et 76). In Suetonii vita usi sunt codicibus MBGCS (= Sicilianus), quorum leviores discrepantias omitto. Vd. et Lejay praef. VIII Francken II p. 257.*

VITA LVCANI POETAE B 1 Prima CPS M ANNEUS LUCANUS CORDUBENSIS PRIMA M MANNEUS lucanus cordubensis . prima B || 3 Dein] De P | lacunam statuit Usener | quod — est damnat G. Becker | a Baumgarten-Crusius cum codd. cum P. a Caesare Grot. || 4 Ante aut post recitavit hiatum esse perspexit Reifferscheid Qui tantae levitatis et tam immoderate linguae fuit ut vulgo suppletur. Sub tantae l. et inmod. l. f. mg. codicis Berolinensis 35 | ut in vulgo || 6 equantum Luc. Mueller; numeros disponit et q. m. restat | Ad culicem Heiland, qui etiam et <adhuc> quantum; Postgate: et <iam> q.; sed vd. Vollmer ad Stat. silv. p. 11 adn. 1 || 7 in initio B | infaustum Burmann incestum Steinhart infestum matri animum Usener || 8 riri M, C<sub>1</sub> | longe B | hiatum notavit Ernesti || 11 quod Nero se add. Reifferscheid quod (nil aliud) Genthe eum se. . recessisse Lejay || 12 recitantes S recitante se Canterus quod se recitante is ego || 13 indicta edd. vet.

sus principem neque factis excitantibus post haec temperavit: adeo ut quondam in latrinis publicis clariore cum crepitu ventris emissi hemistichium Neronis magna consessorum fuga pronuntiavit: 'sub terris tonuisse  
5 tissimos amicorum gravissime proscidit. Ad extremum paene signifer Pisonianae coniurationis extitit, multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda ac plenus minarum, usque eo intemperans, ut Caesaris caput  
10 proximo cuique iactaret. Verum detecta coniuratione nequaquam parem animi constantiam praestitit. Facile enim confessus et ad humillimas devolutus preces matrem quoque innoxiam inter socios nominavit sperans impietatem sibi apud parricidam principem profuturam. Impetrato autem mortis arbitrio libero codi-  
15 cillos ad patrem corrigendis quibusdam versibus suis exaravit epulatusque largiter brachia ad secandas venas praebuit medico. Poemata eius etiam praelegi memini, confici ac veno proponi, non tantum operose et diligenter, sed inepte quoque. 20

1 ex(s)tantibus codd. corr. O. Jahn exacerbantibus Heins. vexantibus aut del. Steinhart | post hac P || 3 strepitu CS | cum deleto scr. emisso vulgo cfr. Dhm Herm. XXXVII p. 487 em. del. Reifferscheid || 4 cum sessorum MBP cum cons. Fr. | pronuntiaret P || 5 potentissimum S || 6 gravidissime M, CS || 7 multus ex corr. B multis MBGCS || 8 praedicanda Grot. praedicanda (ex praed///entia M) codd. | plenis B<sub>1</sub> || 9 imperans C | post caput deesse aliquid voluit Genthe || 11 parem om. BS || 12 et ad BS ut ad MP ad C | humillas devotus P || 14 iam pietatem P || 15 impetratam C imperato P | morte mortis arb. M mortem mortis arb. C | libero (o ex i) M lib. arb. BS || 16 fratrem Osann | corrigendos BS de corrigendis Salmasius || 17 exaravit C exoravit MPB<sub>1</sub> exornavit b | brachia om. B<sub>1</sub> | secundas p || 18 etiam eius B || 19 conpingi Guietus comi Oud. conscribi Burm. | ac veno Usener veno ac Weber vero ac codd. | post vero excidisse exempla putat C. F. Heinrich poem. eius prael. m., etiam exempla confici veno ac proponi non Steinhart | proponi C proponi (pro ex pre P) venalia rell. pr. volumina Fr. | opere et S || 20 sed BC sed et MPS

## VITA

## M. ANNAEI LVCANI

ex Vaccae qui dicitur commentario sublata

M. Annaeus Lucanus patrem habuit M. Annaeum Melam ex provincia Baetica Hispaniae interioris Cordubensem equitem Romanum, inlustrem inter suos, notum Romae et propter Senecam fratrem, clarum per omnes virtutes virum, et propter studium vitae quietioris, quod sequens magis a turba recedebat, minus latebat. Matrem habuit et regionis eiusdem et urbis Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, oratoris operae apud proconsules frequentis et apud clarissimos viros non nullius ingenii: adeo non improbandus, ut in scriptis aliquibus hodieque perduret eius memoria, cuius cognomen huic [poetae] inditum apparet. Natus est III Nonas Novembris C. Caesare Germanico II L. Apronio Caesiano coss. Sed in patria sua non valuit educari, fatorum credo decretis, ut id ingenium, quod orbem fama sui inpleturum cresceret, et in domina mundi aleretur urbe. Octavum enim mensem agens

Codd.: C initio mutilus E (= cod. Parisinus B. N. 9346 s. XI) Q (M. Reiff. = Monacensis D 4 d sive 4610 olim Benedictoburanus saec. XI/XII) W (= Wallersteinensis in bibl. principis Ottingensis prope Nordlingam saec. XII/XIII).

2 menelam Q | ulterioris Fr. | 3 Romanum om. EQ r. W | illustrem virum Q | 6 at minus Weber | 7 regionis editio 1477 religionis EQW | nom. acil. E | 9 praeclarissimos E | 10 in p. fuit Reifferscheid | 11 duret EW | mem. eius E | 12 poetae del. vulgo | 13 g. EW | augusto germ. E germanio. n. Q | Apronio Weber primo codd. | 14 consule Q | sed et in EW | 16 et om. Q | 17 enim om. E autem Q

patum vindicante interdictum est ei poetica, interdictum est etiam causarum actionibus. Hoc factum Caesaris iuvenili aestimans animi calore speransque ultionem a coniuratis in caedem Neronis socii adsumptus est, sed parum fauste. Deceptus est enim a Pisone et consularibus aliisque praetura perfunctis inlustribus viris: dum vindictam expetit, in mortem inruit. Nam sua sponte coactus vita excedere venas sibi praecidit periiitque pridie Kal. Maias Attico Vestino et Nerva Siliano coss. XXVI aetatis annum agens, non sine iactura utilitatis cum patriae, quae tantam immature amisit indolem, tum studiorum quoque. Reliqui enim VII belli civilis libri locum calumniantibus tamquam mendosi non darent, qui tametsi sub vero crimine non egent patrocinio: in isdem dici, quod in Ovidii libris praescribitur, potest: 'emendaturus, si licuisset, erat'. Extant eius conplures et alii, ut Iliacon, Saturnalia, Catachthonion, Silvarum X, tragoedia Medea imperfecta, salticae fabulae XIV et epigrammata, prosa oratione in Octavium Sagittam et pro eo, de incendio urbis, epistolarum ex Campania, non fastidiendi quidem omnes, tales tamen, ut belli civilis videantur accessio.

1 vindicantem WE (vend.) | interdictum (ict inter lin.) C interdum W | poeticae Q | 2 actio E | 3 iuvenilia estimans W iuvenialia aestimans C -nilis estuans E | 5 est alt. om. vulgo Detectus etenim cum P. Usener | 6 consulibus E | 8 praec. venas suas et periiit E | 10 sillano Q silano CEW | XXVI Hanke XXVII CEW XXVIII Q | et aetatis W | 11 patriae Omnibonus patria codd. | tantum W<sub>1</sub> | 12 indolentum C st. tum E | enim om. E | 13 belli C illi EQW | 14 sq. darent h(ic) d(eest) patrocinio Q | tametsi vulgo tamen etiamsi C tam etiam EW | 15 in—praescr. om. E hisdem CW | quod nonvidi W | 16 proscibitur W perscribitur Q | potest Omnibonus post codd. | 17 utilia Saturnalia W | 18 KATAXΘONION Q cataxcomon C catasconion W K. E | 19 et delet Reifferscheid | epigrammata (vel hippasmata) Weber appamata Q ippamata CEW hypomnemata Gyraldus acroamata Ellis ἀπόμνημα Gundermann (Mus. Rhen. LIX p. 148) Λόγια Hertz et alia poemata (vel poematia) A. Cartault | 20 octavum Q | eo, de Omnibonus eodem codd. | 22 civilis belli W, | civili Q

Romam translatus est. Ac ne dispar eventus in eo narraretur eius, qui in Hesiodo refertur, cum opinio tunc non dissimilis maneret, cunas infantis, quibus ferebatur, apes circumvolarent osque insedere conplures aut dulcem iam tum spiritum eius haurientes aut facundum et qualem nunc aestimamus, futurum significantes. A praeceptoribus tunc eminentissimis est eruditus eosque intra breve temporis spatium ingenio adaequavit, una vero studentes superavit profectibus. Declamavit et graece et latine cum magna admiratione audientium. Ob quod puerili mutato in senatorium cultum et in notitiam Caesaris Neronis facile pervenit et honore vixdum aetati debito dignus indicatus est. Gessit autem quaesturam, in qua cum collegis more tunc usitato munus gladiatorium edidit secundo populi favore; sacerdotium etiam accepit auguratus. Equidem hactenus tempora habuit secunda. Quae secuntur autem, mutata invidia et odio Neronis ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem adtulerunt. Cum inter amicos enim Caesaris tam conspicuus fieret profectus eius in poetica, frequenter offendeat; quippe et certamine pentaeterico acto in Pompei theatro laudibus recitatis in Neronem fuerat coronatus et ex tempore Orpheae scriptum in experimentum adversum conplures ediderat poetas et tres libros, quales videmus. Quare inimicum sibi fecit imperatorem. Quo ambitiosa vanitate, non hominum tantum, sed et artium sibi princei-

1 in eo om. Q | 3 hunc Reifferscheid eum Barth | 5 inhaurientes EW | 6 facundum Bipontina faecundum W secundum Q | nunc om. E | 7 A add. Bipontina | 9 stupentes E | 10 et prius om. Q | 11 virili Barth | 12 calceum Cichorius | 13 est indicatus EQ | 15 secundo] incipit C | 18 et dom. E | 19 luctu (tu postea add.) C miserabile C | Cum om. CEW | 20 quam E | eius add. Reifferscheid profectibus vel proventus Weber | 21 offendeat Weber offendeat C ostendebatur EQW Nero offendeat Reifferscheid; an efferebatur (sc. laudibus)? | 22 pentaeterico C pentaeterico EQW<sub>2</sub> pentaeterico W<sub>1</sub> | 23 conversatus E<sub>1</sub> | ex eo E | 24 adversum Weber ac verum (vero E) codd. | cum plures W | 25 tres] ceteros Weber | 26 fecerat CQW | quo om. E | unitate EW imitante (it a m. 2) C

VITA  
CODICIS VOSSLIANI II

Lucanus iste hispanus genere, cordubensis fuit regione, dignitate vero et eruditione romanus. Qui primo apud imperatorem neronem maximum potuit, adeo ut etiam de componendis versibus nonnumquam inter se contenderent. Sed postea accusatus est, quod 5 consensisset factae coniurationi contra imperatorem, cumque non inveniretur in eo talis constantia, qualis putabatur — nam et cito obiectum sibi crimen prodidit et matrem, quae innocens erat, accusavit, quod particeps 10 conspirationis fuisset —, morti adiudicatus est data sibi obtione mortis, ut, qua vellet, morte periret. Qui largiter epulatus iussit sibi archiatrum accessiri et incisis omnibus venis corporis periit. Vnde morte praecipuus quaedam, quae inchoaverat, imperfecta reliquit. Nam mortem Pompeii atque Catonis descrip- 15 sit. Libellos etiam suos inemendatos avunculo suo Senecae, ut eos emendaret, tradidit. Sciendum, quia primo iste liber a Lucano non ita est inchoatus, sed taliter: 'Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri'. Seneca autem, qui fuit avunculus eius, quia ex abrupto 20 inchoabat, hos VII versus addidit: 'Bella per emathios' usque 'et pila minantia pilis'.

*Vitam, quae in libri U membrana agglutinata legitur, dedi ex apographo Steinharti et editionibus C. Fr. Weberi vit. Luc. III p. 2 ac C. M. Franckenii Mnemos. XVI p. 394.*

8 obiecto U<sub>1</sub> || 12 archiatrum U || 20 abrupto U || 21 VII in ras. U

Hom. Il. 1, 1-8

Μῆνιν ἄειδε, υἱέε, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος  
ούλομένην, ἣ μυρὶ Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε,  
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν  
ἠρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεύχε κύνεσσιν  
οἴωνοις τε δαΐτα, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή,  
ἔξ οὔ δ' ἃ τὰ πρῶτα διαστήτην ἐρίσαντε  
Ἄτρεΐδης τε ἄναξ ἀνδρῶν καὶ δῖος Ἀχιλλεύς.

Τίς τ' ἄρ σφωσ υἱέων ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;

Verg. Aen. 1, 1-11

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
Italiam fato profugus Laviniaque venit  
litora, multum ille et terris iactatus et alto  
vi superum saevae memorem Iunonis ob iram,  
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem  
inferretque deos Latio, genus unde Latinum  
Albanique patres atque altae moenia Romae.

Muse, mihi causas memora, quo numine laeso  
quidve dolens regina deum tot volvere casus  
insignem pietate virum, tot adire labores  
impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?

Lucan, bell. civ. 1, 1-8

Bella per Emathios plus quam civilia campos,  
iusque datum scelerei canimus, populumque potentem  
in sua victrici conversum viscera dextra,  
cognatasque acies et rupto foedere regni  
certatum totis concussi viribus orbis  
in commune nefas, infestisque obvia signis  
signa, pares aquilas et pila minantia pilis.

Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri?